



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. XIV. De sancto Missæ sacrificio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

CAPVT XIII.

De sancto Missæ sacrificio.

IAm de diuino hoc Sacramento actum, Ideque eius effectibus & admirabilibus virtutibus, in quantum sacramentum est, restat de eodem, prout sacrificium est, agi. Sanctum Concilium Tridentinum mandat prædicatoribus & animarum pasto-ribus, vt ouibus suis hoc nuncient, vt oēs intelligant quantum Christus Seruator nos-ter Ecclesiæ suæ reliquerit thesaurum, dum sacrificium hoc donaret, vt quisq; sibi inde commodum pater. Ab ipso mundi exordio, saltem post peccatum, & in lege naturæ semper sacrificiis opus fuit ad Deum placandum, adque eum honore & reuerentia prosequendum, in infinitæ eius excellentiæ & bonitatis recognitionem. Ideoq; in lege veteri instituit Deus sacer-dotes & multa sacrificia, verum quia lex imperfecta, eiusmodi & sacrificia erant. Multa animalia mactabant & offerebant, quod tamen eos ad perfectionem ducere non valebat, nec Aaron sacerdoti nec eius sacrificia sufficiebant ad homines sanctifi-candos, & peccata expianda. *Impossi-bile enim sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* ait S. Apostolus Paulus. Necessè erat alium venire Sacerdotem se-cundum ordinem Melchisedech, qui est Iesus Christus, qui aliud offert sacrificium, quod erat ille ipse, quod Deo pla-cando & hominibus sanctificandis & ad perfectionem perducendis sufficeret. Hinc S. Augustinus ait, omnia veteris legis sacrificia hoc sacrificium significasse & huius figuras fuisse: & vt vna & eadem res potest significari & diuersis verbis & linguis exprimi, eodem modo vnicum hoc & verum sacrificium omni illa sa-crificiorum multitudine significatum & inuicatum fuit, partim vt idem nobis multum & sæpius commendaretur, par-tim vt diuersitate & varietate fastidium leuaretur, quod frequens eiusdem repe-

titio adferre solet. Ideoque ait Deum ius-tiss: sibi offerri animalia munda, vt indi-caretur, quod sicut animalia illa immo-landa corporis vitis & defectibus care-bant, & maculæ omnis expertia erant, eo-dem modo & ille, qui venturus erat, vt se in sacrificium offerret pro nobis, ab om-ni peccati macula immunè esse debere. Etsi hæc illi sacrificia gratæ erant (vt pro-cul dubio tunc temporis erant) hoc tantū fiebat quod illis homines faterentur, Ser-uatorem & Redemptorem venturum, qui veniurus erat sacrificium, cuius vir-tute præterita illa sacrificia alicuius erant valoris. Posteaquam vero Seruator & Re-demptor ille in mundum venit, non am-plitus Deo gratæ fuerant hæc sacrificia. Vn-de ait S. Apostolus Paulus: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem no-luisti, corpus autem præstisti mihi: holocausta & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam: Deus de-dit vni genito filio suo corpus, vt faciat Patris voluntatem, se in cruce offerendo. Ideoque in mundum veniente figurato, cessauit umbra & figura, & non amplius Deo placuerunt antiqua illa sacrificia.*

Hoc ergo sacrificium est, quod in gratiæ lege habemus, quodq; quotidie in Missa offertur. Ipse Iesus Christus verus Dei fi-lius nostrum est sacrificium. *Tradidit se-metipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Hæc q; nō propriæ cō-siderationes vel imaginationes sunt, sed id ipsum, q; fides docet. Verū est, Missam passionis & mortis Christi memoriam & repræsentationē esse, ipse enim hoc sum-mum sacrificium instituens sic dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* Tamen intellecto opus non solum esse memo-riam & repræsentationem eius sacrificii quod Christus in cruce eterno Patri obtu-lit pro peccatis nostris, sed & ipsum est sa-crificium, quod eodem tempore oblatum est, & eiusdem valoris & efficaciæ. Et non solum idem est sacrificium, sed & il-le, qui modo illud offert sacrificium, idem ille est, qui illud in cruce obtulit.

Sic

Sic ut quemadmodum passionis tempore Christus sacerdos fuit & sacrificium, eodem modo & iam in Missa Christus non solummodo est sacrificium, sed & sacerdos & Pontifex, qui se quotidie in Missa offert ministerio sacerdotis. Ideoque sacerdos Missam celebrans Christi personam refert, & ut minister & instrumentum eius nomine hoc sacrificium offert. Quod consecrationis verba indicant, non enim dicit Sacerdos: *Hoc est corpus Christi*, sed: *Hoc est corpus meum*: loquens in Christi persona, qui est Sacerdos & Pontifex, qui hoc sacrificium offert. Hincque est, quod Propheta Dauid & S. Apostolus Paulus illum nominet Sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedech. Et non recte sacerdos æternus diceretur, si solum semel obrulisset sacrificium, sed Sacerdos æternus dicitur, quod mediantibus sacerdotibus semper sacrificium offerat, & nunquam cesserit, nec cessabit ad finem usque mundi offerre. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior calis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populi. Sed talem: *Qui in diebus carnis sue preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia*. Talem qui non alieno, sed proprio sanguine Deum placet.

Expendamus ergo hic Dei inuentiones & consiliorum eius artificium & sapientiam, quæ hominum salutis ergo excogitavit, & quicquid fecit, quo sacrificium hoc omni ex parte esset gratum & acceptum, ut idem expendit S. Augustinus. In omni sacrificio quatuor consideranda. Primo cui offeratur: secundo quis offerat: tertio quid offeratur: quarto pro quo offeratur. Dei sapientia tali modo hoc sacrificium ordinavit, ut idem qui offert, ad nos Deo reconciliandos idem sit cum eo cui offertur, & se vnum cum illis fecerit, pro quibus offertur, & ipse idem est cum eo, quod of-

ferretur: ut sacrificium hoc omni ex parte gratum, acceptum & efficax esset. Ideoque tanti valoris & energiae fuit, ut Deo placando & satisfaciendo sufficeret, non solum pro nostris, sed & pro centum mille mundorum, si essent, peccatis. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, dicit S. Iohannes Apostolus & Euangelista. Ideoque dicunt Theologi & Sancti, sacrificium hoc non solum pro debitis & peccatis nostris sufficientem fuisse satisfactionem & compensationem, sed valde superabundantem multo enim maius est, quod hic offerretur, quam quod debebatur. Et multo magis æterno Patri placuit hoc sacrificium, quia displicerat crimen admissum. Ideo accidit, quod quantumlibet sacerdos peccator sit, & peccator sit, ideo sacrificium hoc non minori est valori & utilitati illi, pro quo offertur, nec quicquam de eius valore & efficacia detrahitur, quod Christus non tantum sacrificium, sed & Sacerdos & Pontifex sit, qui illud offert: ut eleemosyna, quam das, quamuis eandem per famulum peruersum & peccatorem mittas, nihil meriti vel virtutis perdit. Hincque ita definit & dicit Conc. Tridentinum. *Vna enim eademque est hostia, idemque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui tunc seipsum in cruce obtulit, solum offerendi ratione diuersa*: Illamque diuersam offerendi rationem dicit, quod in cruce sacrificio cruento cum sanguinis effusione peracta sit, quod tunc Christus Seruator noster passibilis & mortalis esset: in Missa vero sacrificio fiat *Incruento*: Christus enim iam est gloriosus & à mortuis suscitatus, ideoque nec mori, nec pati potest: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Dicit Conciliū, dicant & Euangelistæ, dum iam Christus sacrificandus & in cruce moriturus erat, ut nos redimeret, noluerit ibi sacrificium stare & perfici quia erat sacerdos in æternum, sed voluit suum sacrificium ab Ecclesia haberi & ibi manere. Et quia sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit, equum erat, ut ille sub speciebus panis & vini nobis in sacrificio permaneret.

Sacerdos celebrans Christi personam refert.

Psal. 110. 4.

Heb. 7. 17. & 21.

Gal. 5. 7.

Aug. l. 4. de Trin.

ret. Ideoq; in vltima cœna. *In qua nocte tra-*
debatur, accepit panem, & gratias agens fregit
scilicet, discipulis suis. dum homines delibe-
rarent de morte ipsi inferenda, agebat ipse
de vita ipsi danda: voluit sponte sua Ec-
clesie visibili sacrificiũ visibile relinquere,
vt hominum conditio & natura exigebat,
quod non solum cruentum illud Crucis
sacrificiũ in memoriam reuocaret, sed &
eiusdem cum illo esset virtutis & effica-
cie, ad peccata dimittenda, Deum placan-
dum & homines illi conciliandos, quodq;
re ipsa idem esset sacrificium. Hincq; cor-
pus & sanguinẽ suum sanctissimum conse-
cravit sub panis & vini speciebus, panem
in corpus & vinũ in sanguinẽ conuertens,
subq; iisdẽ speciebus se æterno Patri ob-
tulit. Hanc aiunt Doctores primã Missã
fuisse, quã in mundo celebrata fuit: tũq;
discipulos noni Testamenti sacerdotes
ordinauit, & illis & eorum in sacerdotio
successoribus, vt hoc offerrent sacrificiũ
dicens: *Hoc facite in meam commemorationẽ.*
Hinc sustinent aliqui sanctissimi Sacra-
menti festum diem maximum esse, quem
de Christo Redemptore nostro celebrat
Ecclesia, alij enim solum sunt memoria &
representatio, vt Incarnationis, Natiuitatis,
Resurrectionis, & Ascensionis. Hoc n.
die filius Dei non est factus homo, nec na-
scitur, nec refurgit, nec rursus ad cœlos
ascendit, ille n. semper est. Hic vero dies
festus non solummodo memoria & repre-
sentatio est, sed quod rursus veniat, quod
sub Sacramentalibus speciebus lateat,
quotiescunque sacerdos consecrationis
verba profert. Et rursus in Ecclesia quo-
tidie offertur idem sacrificium, quod ob-
latum fuit, dum pro nobis Christus in
Cruce mortem passus est.

Consideremus hic magnũ Christi erga
homines amorem, quantumq; illi debeamus,
quodq; illi satis non fuerit, semel se
pro peccatis nostris in Cruce obtulisse, nisi
& hic sacrificiũ permaneret, vt nõ semel,
sed sæpius & quotidie vsq; ad mundi cõ-
lumnationem gratum sacrificiũ habeamus
Patri æterno offerendum, & tantum
& tam preciosum donum ei dandum pro

nostris peccatis, quo ille placetur, quoq;
illi nihil preciosius nec gratius esse potest.
Quid Christianis faciendũ fuisset, si hoc
illis sacrificiũ non foret datũ ad se Deo cõ-
ciliandos? *Quasi Sodoma fuisset, & quasi*
Gomorra similes essemus, & nos Deus sub-
uertisset & destruxisset, vt peccata exige-
bant. Dicit S. Thom. sacrificio proprium
esse Deum placare, secundũ illud S. Pauli:
Tradidit semetipsum pro nobis oblationem &
hostiam Deo in odorem suauitatis, vt dũ quis
placatur, & iniuriam sibi illatam dimittit,
aliquo sibi exhibito seruitio vel dono ob-
lato, eodem modo tam Deo hoc est gra-
tum & acceptum sacrificium & donum,
quod offertur, vt illi placando sufficiat,
eumque accedere liceat, & ille benignis
nos oculis intueatur. Si ipsa feria sexta
sancta, dum Redemptor mundi crucifi-
xus est, ad crucis basim fuisset, & precio-
sillius sanguinis guttã te conspersissent,
qua consolatione anima tua perfulsa foret?
quod tibi robur suggestum foret?
quam certam remedij tui spem concepis-
ses? Latro, cui tota vita in latrocinij &
sceleribus peracta, tantum sumpsit ani-
mum, vt ex latrone sanctus fieret, & ex
Cruce paradisum faceret. Idem Dei fi-
lius, qui tunc temporis se in Cruce offe-
rebat, se nunc in Missa pro te offert, &
tanti valoris hoc, quam illud, est sa-
crificium. Idcirco ait Ecclesia: *Quoties huius*
hostie commemoratio celebratur, opus redem-
ptionis nostra exoritur. Magni illius cruen-
ti sacrificij fructus, ad nos manant, & hoc
sacrificio sine sanguine nobis communi-
cantur.

Tantum & tantæ dignitatis hoc est
sacrificium, quod soli Deo offerri queat.
Quod Concilium Tridentinum aduertit,
dum ait, quod quamvis Ecclesia
in Sanctorum honorem & memoriam
solita sit Missas celebrare, tamen id
sacrificium sanctis non offeratur. Hinc
sacerdos non dicit: Offero tibi san-
cte Petre vel sancte Paule: sed soli
Deo offertur, gratias agendo de vi-
ctoriis & coronis sanctis concessis, &
eorum intercessionem requirendo. *Vs*

Esai. 1. 9.

S. Thom. 3. p. 9.
49 art. 4.
Ephes. 5. 2.Domin. 9. post
Pentec. in ora-
tione secreta.Concil. Trid.
sess. 22. c. 3.
Sacrificium
soli Deo offer-
tur.

ipsi pro nobis intercedere dignentur in calis, quorum memoriam facimus in terris.

Essentia sacrificii consistit in consecratione vtriusque speciei.

Sic ut diuinum hoc mysterium non solum Sacramentum sit, vt alia, sed & simul sacrificium. Et magnum discrimen est inter duo hæc Sacramentum & sacrificium: sacrificij enim ratio in eo sita est, vt ministerio sacerdotis in Missa offeratur. Communis & recepta Theologorum opinio est, essentiam huius sacrificij consistere in vtriusque speciei consecratione, quæ tunc offeruntur. Ideoque sicut Christus in Cruce spiritum emittens cruentum illud sacrificium peregit, quo se pro nobis æterno Patri obtulit, eodem modo & hoc sanctum Missæ sacrificium, quod vera prioris representatio, & eodem numero cum eo est, essentialiter perficitur illo eodem temporis puncto, quo consecrationis verba super panem & vinum prolata finiuntur, tunc eorum verborum virtute & energia in hostia est corpus, & in calice est Christi sanguis, & in sanguinis illa consecratione, quæ post corporis consecrationem fit, ad viuum exprimitur Christi sanguinis effusio, & consecratiue sanguinis à corpore separatio, quæ sequebatur. Tali modo vt consecrationis verbis sacrificium, quod offertur, producat, & illis ipsis fiat oblatio. Sed mysterium hoc semper Sacramentum est post consecrationem, quamdiu species panis durant, dum in reposito-rio seruatur, vel ad ægrotos defertur, dum quis communicat: tuncque nec rationem, nec vires sacrificij habet. Et alia hic est differentia, in quantum enim Sacramentum est, prodest accipienti, vt alia Sacramenta gratiam conferendo & alios sibi proprios effectus largiendo. In quantum vero sacrificium est, non solum recipienti prodest, sed & alijs, pro quibus offertur. Hincque annotat Concilium Tridentinum ob duo hæc & duas has causas Christum diuinum hoc mysterium instituisse. Prior quarum est, vt in

Conc. Trid.

quantum Sacramentum, alimentum foret animæ, quo posset vita spiritualis conseruari, restaurari & renouari. Posterior: vt haberet Ecclesia perpetuum aliquod sacrificium Deo in veniam & peccatorum nostrorum satisfactionem offerendum; remedium in necessitatibus, in compensationem & gratiarum actionem pro beneficijs acceptis à Deo: & non solum in viuorum leuamen & remedium, sed defunctorum, qui in gratia obierunt & in igne purgatorio sunt, quibus omnibus sacrificium hoc prodest. Occurritque hic quiddam magnæ consolationis, quod sicut sacerdos Missam celebrans sacrificium pro se & alijs offert, eodem modo & illi qui intersunt, idem cum illo pro se & alijs offerant. Vt dum aliqua communitas vel Republica alicui Principi donum offert, tres vel quatuor veniunt, sed unus solum pro omnibus verba facit, sed omnes donum ferunt, eodem modo & hic, licet solus sacerdos loquatur, & suis manibus sacrificium offerat, tamen sacerdotis manibus omnes offerunt. Verum quidem est, discrimen in allata similitudine esse, nam in ea quilibet eorum verba facere posset, sed in Missa minime: quod sacerdos ad hoc à Deo electus posuit consecrare & facere quicquid in Missa fit, sed tamen eam audiens, & intersuens etiam sacrificium hoc offerunt. Hincque ipse sacerdos in Missa ait: *Orate fratres, vt meum & vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Similiter & in Canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.*

Quod magnum omnibus Missam audiendi & intersuendi desiderium excitare deberet, vt exactius sequenti capite dicetur.

os (:) so